







9813

No: 908.

14

1771

3

DE  
L O C O

VECTIGALIBVS SIVE ONERIBVS PVBLICIS  
REALIBVS ET PERSONALIBVS IN CONCVRSV  
CREDITORVM ATTRIBVENDO



P R A E S I D E

D. ERNESTO GOTTFR. CHRISTIANO  
K L V G E L

IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE  
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
WITTENB. ASSESSORE

DIE XXVI. MART. MDCCCLXXI.

PVBLICE DISPVTABIT

RESPONDENS

IOHANNES AVGVSTVS NATHVSIVS  
IVTREBOCENSIS.



WITTENBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.





1780

DE

LOGO

VECTIGALIBVS SVIS ONERIBVS PARICIS  
RE ALIIS ET PERSONALIBVS IN CONGRVA  
ORDINOMI ATTRIBVENDO

-----

TRAESIDE

D. ERNSTO GOTTER CHRISTIANO

K. V. G. E. I.

IVR SAN P. O. IVRCH TROVITIA IN ECCLIAE  
INSEIGNI MATHONAVI ET FACULTATIS IURIDICAE

WITTE WASSERKUNST

IN PRAESENTIA

CAVIAE DIGNITATIS

REACTORIS

IOHANNES ALEXANDER NATHAN

VERBODEN

-----

WITTEBERGAE

EX OFFICINA GYLDENBERGAE







DE  
 LOCO VECTIGALIBVS SIVE ONERIBVS PVBLICIS,  
 REALIBVS ET PERSONALIBVS  
 IN CONCVRSV CREDITORVM ATTRIBVENDO.



§. I



Lipſienſis Academiae Ornamentum, *Illustris* Onera in con-  
 Hommelius, quem cum ſumma nomino cursu credito-  
 veneratione, cum ſcriberet formulas ſenten- rum, quoad  
 tiarum, quibus in concursu creditorum vi- tem para ſolu-  
tionis ſunt ſe-  
parando,

mur, occasione tributorum debitorum, quae a recepto-  
 ribus deferuntur, haec adiecit: Manchemal liquidiren die  
 Einnehmer Steuern und andere Onera, in Bausch und Bo-  
 gen, dergestalt, daß sie diejenigen, so nach ausgehängten  
 Edictalien, bis auf die Subhastation aufgelaufen, (mit de-  
 nen vor entstandenem Concurs in Rest gebliebenen) in einer  
 Summe zusammen ziehen, da doch die erstern ein besseres  
 A Recht





Necht haben, und gleich in die erste Classe <sup>a)</sup> zu setzen. <sup>b)</sup>  
 Quae cum Vir Illustris vitio det receptoribus tantum Saxonicis, hunc equidem errorem extra Saxoniam quoque non raro reperi. Fit enim saepius, vt tributorum exactores omnia, quae soluta non sunt, tam ante motum concursum, quam durante sequestro, imo, quorum post subhastationem venit dies, misceant, quae tamen necessario distinguenda sunt, quod tum apparet ex rei natura, tum ipsi fisco est proficuum.

§. II.

*quia diversi  
sunt debito-  
res,*

Sed cogitabit forsitan aliquis, quod, si tributa solui debent, idem sit, vtrum separata, an simul et vno ordine soluantur. Propterea inquirendum erit in istas causas, quae separationem suadent aut iubent. Omnis autem ratio, cur in concursu nostra postulamus credita, haec est, quod debitor communis nobis aliquid debet. Cui igitur debitor communis nihil debet, ille tanquam creditor eius, in concursu nec profiteri potest creditum, nec illi locus tribui, quo ei soluatur. Videamus igitur, an ista onera publica, quorum separationem a reliquis poscimus, eius sint indolis, vt contendere possimus, ea a debitore communi soluenda esse. Concursum autem creditorum antecedit cessio bonorum, quam tamen paulo latius accipi volo, quam quatenus propria pro beneficio habetur, siquidem effectus intuitu creditorum idem erit, siue sponte aliquis sua bona cedat, et renuenti debitori dominium auferatur, et administratio interdicatur, siue haeredes renuncient haereditati,

<sup>a)</sup> Quomodo hoc sit intelligendum, ab ipso antea est expostum.

<sup>b)</sup> Illustr. Hommel. teutsch. Flav. sub voce Concurs n. VII. not. \*





tati, eamque defuncti relinquunt creditoribus. e) Ea igitur bonorum cessione dominium amittitur, et bona quasi traduntur creditoribus, siue ab iis, communi debitori mortuo, nemineque haerede existente, vt haereditas iacens et res nullius occupantur, itaque creditorum agmini dominium fructuumque percipiendorum ius acquiritur, unde statim in utilitatem creditorum fit obfignatio. d) Verum tributa a domino soluenda sunt, oneraque reliqua ferenda, vel, si id alicui dubium videatur, certe ab illo, qui utilitatem fructusque percipit ex re publicis collectionibus aliisque oneribus subiecta. e) Siue hoc fit, siue illud, creditores semper ab eo tempore obligabuntur ad onera ferenda, quo vel bona iis cessa sunt, vel ab iis auctoritate iudicis, et a iudice in ipsorum commodum occupata. Etenim domini rerum, quas possidebat communis debitor, quasque nomine collectiuo massam concursus appellare solemus, habendi sunt, et fructus, cum bona in eorum utilitatem sequestrantur, ab iis hoc facto percipiuntur. Itaque post cessionem bonorum, vel quicquid eius loco est, nulla amplius debitoris communis adest obligatio ad soluenda tributa, sed ea iam a creditoribus, qui dominium consecuti, sunt pendenda. Similia dicenda sunt de his contributionibus, quae soluenda sunt, postquam bona debitoris communis sub hasta venierunt. Ille enim, qui plurimum licitus est, adiudicatione iudicis acquirit dominium, et ab illo tempore, quo fructus percipere incipit, publicis collectis aliisque oneribus, se-

A 2 cun-

e) Vid. Menck. Traët. Syn. Proc. ad Tit. XLI. no. 1.  
 d) Vid. in Saxonia O. P. S. R. Tit. XLI, §. 1.  
 e) L. 7. §. 2. L. 27. §. 3. L. 39. D. et L. 7. C. de usufr. Conf. Leyserus in medit. ad Pand. Spec. 216, n. 9.

b)  
 Sa-  
 que  
 cto-  
 con-  
 sub-  
 ario  
 um  
  
 olui  
 or-  
 cau-  
 au-  
 ita,  
 pet.  
 am  
 am,  
 tur,  
 quis  
 ea  
 em  
 ulo  
 be  
 um  
 iue  
 ini-  
 edi-  
 ati,







cundum supra proposita, ab eo satisfaciendum est. Quae igitur post subhaftationem soluenda sunt, neque ad debita pertinent communis debitoris, neque onera existimari possunt bonorum, quae possidebat, siue, quae vulgaris est denominatio, massae concursus, sed illius tantum, qui recens factus fuit dominus. Apparet ex his omnibus, diuersos omnino esse eorum, quae solent saepissime vel plerumque misceri, tributorum onerumque aliorum debitores. Fluit exinde porro, secundum ea, quae supra monita sunt, credita a debitore communi soluenda tantum obiectum concursus esse, separationem, ratione tributorum et onerum, quae professi sunt exactores, eam ob causam necessariam esse, cum, si debitores diuersi sunt, aerarium, fiscus, vel si quis alius onera possit, alio atque alio iure vtantur in debitis a debitore communi, ab vniuersitate bonorum creditoribus cessorum, et a successore singulari per venditionem publicam constituto, soluendis. Videtur imo in his ipsis collectis, quorum dies ante motum concursum venit, quaedam separatio nonnunquam locum inuenire, tunc scilicet, si quaedam adhuc debet is, a quo debitor communis praedia accepit sua, quo casu et fisco et creditoribus consuli puto, si, quae soluenda erant ab antecessore, separentur ab istis, quae a successore, debitore communi, soluta non sunt. Nam hic quoque diuersi sunt debitores, diuersaque iura.

§. III.

Si tamen sola causarum differentia separationem laudatam efficeret, parum utilitatis haberet haec doctrina, nisi ista distinctio diuersum quoque produceret effectum, qui

et fisco et reliquis creditoribus ea separatio utilis est.





qui iam erit commemorandus. Duo autem hic praemomenda sunt. Primo si quis, qui pro creditore se gessit, excluditur ex numero creditorum, reliqui concurrentes creditores id percipiunt commodi, ut plus accipere possint, quam quidem accepissent, si iste inter eos adhuc connumeraretur. Deinde, quod comprobat communis fori obseruantia, nomine expensarum, quae in utilitatem omnium creditorum, siue concursus *f)* factae sunt, creditores pro rata tenentur. Quamuis enim his expensis prima classis in concursu, per sententiam, quae dicitur locationis, tribuatur, hoc tamen eum in modum intelligitur, vt omnis harum expensarum summa distribuat inter eos, qui aliquid ex massa concursus accipiunt, unde nonnulli scriptores, hanc classem plane omitti, et expensas potius funebres in primam classem transferi posse, censent. *g)* Ab hac ad expensas in utilitatem concursus factas contributione, secundum iuris analogiam, fiscus immunis esse non potest, cum, excepto ordine, siue iure prioritatis, omnes creditores pari iure gaudent, hinc aliquid in aliorum praecudicium vnusque commodum fieri nequit, nec absque iniuria, vt exactorum vel negligentiam, vel misericordiam, vel etiam quaestus studium suo damno luant reliqui

A 3

*f)* Hoc verbum proprie quidem actum denotat, quo creditores multi simul sua credita poseunt, sed accipitur etiam a iuris scriptoribus pro obiecto, bonis debitoris communis, vel pro iure omnibus creditoribus simul competente, pro ipso creditorum agmine & pro processu, qui in concursu creditorum obinet. v. g. apud Bergerum in Occ. Iur. Lib. IV, Tit. 24, no. 1, concursu formato, separandum esse a concursu &c.

*g)* Ludovici Einsl. zum Conc. Proc. X. Cap. §. 73. formula: daß nach Abzug derer Urtheils und Gerichts-Gebühren, ingleichen des Curatoris honorum Salarii, die Gläubiger in folgender Ordnung zu befrieden. 1) Sempronius etc.







qui creditores, postulari potest. Fiscum itaque, si quid percipere queat sine contributione expensarum nomine facienda, et quidem ita, ut reliquis creditoribus non fiat iniuria, commodo quodam frui, manifestum est. Haec igitur existunt, si descripta peragitur separatio. Si enim aerarium ea tributa, quae post subtractionem soluenda sunt, exigit a nouo possessore, non solum ipsum, horum intuitu ad expensas nihil contribuit, sed reliquis etiam creditoribus haec summa, quam nouus pendit possessor, quasi accrescit. Quod ad tributa oneraque durante sequestratione siue concursu soluenda attinet, eorum causa, si separantur a reliquis, creditores quidem nihil lucrantur, fiscus tamen siue alius onerum dominus, cum eorum nomine ad partem expensarum conferendam non teneatur. Horum enim intuitu fiscus creditor est non debitoris communis, sed ipsorum creditorum siue concursus. Quibus autem ipsa concursus massa debet, illis expensarum causa nihil potest detrahi. <sup>h)</sup> Si tandem illa quoque separantur tributa, quae antecessor debitoris communis debebat, ab his, quae soluenda erant a debitore communi, in eo casu, si antecessor ipse sit inter creditores, possunt et fiscus et reliqui creditores lucrum facere. Haec enim tributa antecessori merito subtrahenda sunt ex eo, quod ex concursu percipit, quo facto, et de tracta haec summa accrescet creditoribus reliquis, et fiscus iure suo solidum, sine vlla expensarum causa facta deminutione, postulabit. Haec autem, quae compendii gratia de tribu-  
tis

<sup>h)</sup> Vid. Hommel, libr. cit. voce Concurs no. 1. ad verba gehandelt wird not. \* diese Gläubiger haben nichts bey dem Schuldner, sondern bey dem Concurs zu fordern, darum lassen sie sich an Unkosten nichts abgehen.



tis fere exposita sunt, de omnibus, quae onera realia dicuntur, intelligo, quorum omnium eadem est ratio. i)

§. IV.

Si igitur necessaria et utilis est ea, quam exposuimus, separatio, videndum quoque est, quomodo fieri possit et debeat. Tributa enim aliaque onera plerumque sunt annua, aut bis, ter, quater, e. s. p. per annum, praeterea certis definitisque quibusdam diebus, e. g. Ioannis, Michaelis, Martini, Calendis huius vel illius mensis, dantur. Non autem omnis subhastatio, cessio bonorum, et reliqua, de quibus actum, ultimo Decembris, aut alio eiusmodi stato die, sed medio anni et die quolibet fiunt. Hinc tributa vel ei erunt attribuenda, qui possidet fundum eo die, qui solutioni praestitutus est, v. g. qui possidet die Ioannis, Michaelis, vel erunt pro rata temporis diuidenda, quo quisque fundum possedit, e. g. debitor communis fundum possedit 5. menses a Ianuario vsque ad Iunii initium, sequestratio 4. menses durauit, a Iunio vsque ad Octobrem, et 3. ultimos anni menses nouus per subhastationem constitutus dominus fructus percepit, vt in hoc casu quincunx tributorum onerumque eius anni a debitore communi, triens a concursu, et quadrans a nouo possessore soluendae sint. Videtur posterior modus magis conuenire cum aequitate, quia tributa

*Ea separatio fit pro ratione temporis, vel secundum solutionum tempora.*

i) Est adhuc aliud genus separationis tributorum, eorum scilicet, quae quis tanquam exactor recepit, et in suos vsus conuertit, nobis Propereffe dicta ab iis, quae debentur ex ipsius debitoris praediis vid. Stryk. ad Brunnem. de proc. conc. cred. cap. V. §. 2. quibus non immoror, quia tanquam tributa posci nequeunt.





buta et alia onera publica et realia plerumque de fructibus vel pro facultate saltem fructus percipiendi penduntur, et merito secundum fundi fertilitatem et fructuum percipiendorum quantitatem imponi solent, vnde quoque prior modus, scilicet, vt respiciamus diem, qui solutioni praefinitus est, magis accedere videtur ad aequitatem, si sint onera mere personalia, v. g. capitationes, vel arbitraria, v. g. pauperum causa collecta, vel mobilibus imposita, v. g. vectigal cereuisiarium, vel quae instar mercedis sunt pro certis operibus, v. g. quae nonnullis personis dantur sub noui anni initium, vel quae ex ipsorum fructuum substantia pro modo perceptorum dantur, v. g. decimae, quae in natura durante messis tempore, vel ex foetura animalium debentur, vel quae consistunt in faciendo, v. g. seruitia rusticorum, vel quae annua plane non sunt, sed certis tantum occasionibus praestantur, v. g. hospitium gratuitum domini directi, refectio parietis in seruituti oneris ferendi, et quae sunt huius generis alia. Quamuis autem in his, quae annua sunt, et ad hunc enarrata referri nequeunt, qualia sunt pleraque, v. g. apud nos *Echoß, Steuer, Hufengeld, Lehnsgeß, Erbzinß, Zinß, Dienstgeß, Fußengeld*, etc. videamus, ea soluenda esse non singulis diebus, sed solidum vno die, vel per partes, quolibet semestri, quadrimestri, trimestri, vel etiam, quod rarius fit, singulis mensibus, deinde, si eum in modum diuisa sunt, non aequalibus partibus, in singulas menses, singula trimestria, caetera, distributa, sed inaequales partes constitutas esse, v. g. ratione Saxonici tributi nummularii et trimenstrui, (*Psennig und Quatembersteuer*) in quibus hunc in mensum 2. in alium 3. in alium 4. e. l. p. nummuli pro qualibet





bet sexagena, in hunc mensem tributum trimenstruum simplex, in alium duplex, in alium triplex, et sic porro, indicuntur, nihilo tamen fecius aequius id esse existimo, quod supra scripsi, vt diuisio totius annui tributi fiat in aequales partes, et separentur postea pro rata temporis. Illac enim dies, illaque partes, inprimis inaequales, vel definitae constitutaeque videntur in utilitatem eius, cui onera ista pendenda sunt, forte, quod certo quodam tempore maiores expensae, quas facere debet, maiorem postulent redituum numerum, vel in commoditatem eius, qui oneribus est obnoxius, in genere quidem, ne opprimatur multitudine onerum, si omnia circa idem tempus praestanda essent, in specie, inaequalibus constitutis partibus, quia alio tempore locupletior est, atque alio, vnde inuenimus plerumque, praesertim ruri maiora dari tributa post messem collectam, minora per aestatem. Verum etsi haec forsitan bene philosophemur, attamen, quia ardua eiusmodi esset rationum compositio, et multis obuoluta difficultatibus, inprimis, si singulorum dierum habere respectum oporteret, vix aliter receptum erit, quam vt solius diei solutioni destinati ducatur ratio, quam consuetudinem turbare nolo.

§. V.

**E**xposito igitur modo separationis, perpendamus nunc, quis locus quibuscunque ita distinctis tributis oneribusque in concursu creditorum concedendus sit. Primo quidem de his agamus, quorum post subhaftationem dies venit. Haec plane ad concursum non pertinere, nec

*Tributa collectionesque post subhaftationem praedictorum, quae possidetat communis debitor, soluenda, et*

B

ex







*concursum  
non perti-  
nent, sed one-  
ra sunt noni  
possessoris.*

ex massa concursus, sed a nouo domino soluenda esse, iam est monitum. Verum, si exactores eiusmodi collectiones professi sunt, vel vt vulgo dicitur, liquidarunt, et contradictor, quod huc non pertineant, non excipit, quemadmodum plerumque comperimus, contradictores inconsulte omnia delata tributa et onera realia confiteri, *k)* an nihilominus ex officio separatio decerni potest? Fieri hoc omnino debere reor ex officio iudicis nobili, quod vel caeteri implorant concreditores, cum alias hi manifesta afficerentur iniuria, nouus vero possessor cum ipsorum damno, quod iura detestantur, fieret locupletior. Sed liquida quaestorum non raro sunt potius illiquida, adeo obscura et confusa, vt dies solutionis nequaquam appareat, quemadmodum etiam saepissime frustra in iis quaerimus qualitatem, vtrum realia sint onera an personalia, cui fundo imposta, et quae alia possunt hac occasione obuenire. In hoc etiam ratio posita est, quamobrem ICtorum collegia, quae sententiam ferunt, non semper separationem queant iniungere, cum dies non constet. Iudicis igitur est, vel bonorum curatoris, curare, ne veri creditores detrimentum capiant. Nunquam autem legibus constitutum est prouincialibus, vel principes rescriptis iubent, onera tum alia, tum imprimis, quae aerario debentur, huic solui, etiamsi nondum omnia in concursu sint liquida, quo casu improuidus iudex vel curator bonorum, sine cuius consensu merito fieri non deberet, quod spectat ad administrationem massae, receptori, quicquid poscit, numerabit. Hoc quamuis

*k)* Nolo tamen haec ita intelligi, ac si omnia sine ratione negari possint, cum fiscus potius muniatur praesumptione, vid. Leyser in Medit. Spec. 482. th. 5. et 6




quamvis factum sit, adeoque indebitum ex debitoris communis bonis solutum, id tamen creditoribus nocere nequit. Condiçioni quidem indebiti, saltem contra fiscum, locus vix dabitur, et ob alias rationes, et maxime, quia error subesse videtur iuris. Restat autem actio negotiorum gestorum contra recentem possessorem, qui auctione acquisiuit dominium, et subsidiaria contra iudicem, vel bonorum curatorem.

§. VI.

**H**aec sequantur onera, quae durante concursu vsque ad subhastationem, vel quamdiu creditores pro possessio-ribus habendi, soluenda sunt. Eorum causa non debito-rem communem, sed ipsum concursum siue creditores obligari, iam §. 2. probatum est. In his autem aliter se- res habet, atque in iis, de quibus actum §. praecedente. Non enim a tertio quodam, sed ex massa concursus, quamvis non tanquam debitum communis debitoris, pensitanda sunt. Primo igitur, ne creditoribus inferatur damnum, cum horum tributorum onerumque intuitu fiscus, aerarium, et reliqui, qui exigunt, nihil expensa- rum nomine conferant, quod §. 3. monstraui, inquirendum erit, quis horum onerum terminus sit a quo et ad quem. Terminus ad quem est absque dubio dies sub- hastationis, modo, qui licitatione ius sibi parauit, in possessionem missus sit, alioquin, si fructus etiam post subhastationem per aliquod tempus perceperint credito- res vel eorum nomine curator bonorum, nouus domi- nus cogi non possit, vt tributa soluat oneraque ferat, qui vtilitatem nullam ex re habuit, itaque adiudicationis

*Onera du-  
rante concu-  
su praesenda  
etiam non  
sunt debitorie  
communis ne-  
men.*





terminus fiet terminus ad quem. Subhastatio enim intelligenda est cum effectu, quam ob rem si illa propter defectum solennium vel aliam causam quamcunque rescindatur, vel, qui licitus est plurimum, promissa adimplere nolit aut nequeat, et possessio redeat ad creditores, per se patet, necessitatem onerum ferendorum ex parte creditorum continuari. Terminus a quo est concursus initium. Hunc vero puto non semper initium capere, quae est nonnullorum opinio, ab eo die, quo citatio emititur edictalis. Etenim, si bonis cedat debitor communis, vel interdicatur, vel, eo mortuo, hi, qui ad haereditatem vocantur, ei renunciant, concursus omnino iam existit, cum creditores ab eo tempore ius nanciscantur in debitoris bona. Nec sola denominatione rei aliud euincetur, cum alias terminus demum liquidationis initium esset concursus. 1)

### §. VII.

*sed de massa  
concurfus, an-  
tequam solua-  
tur primae  
creditorum  
classi, detra-  
henda.*

Descripta igitur haec onera non pertinent ad eam classem, quae alias secundum receptum creditorum ordinem publicis realibusque datur oneribus, sed de ipsa massa concursus sunt detrahenda. Hoc in Saxonia praecipit Mandatum d. d. 3. Jul. 1748. no. IV. verbis: *sind denen Creditoribus pro rata nicht anzurechnen, sondern aus der ganzen Concurs-Masse zu nehmen A) die durante* seque-

1) Quoad Saxoniam in O. P. R. Tit. XLI. §. 1. verba sunt: *wenn mehrere Gläubiger zusammen kommen, und es sich äußert, daß der Schuldner in Abfall seiner Nahrung gerathen, also ein Concursus Creditorum entsteht, quibus explicari videtur initium concursus. Verum illud auferri non est nimis late accipiendum, quod nonnullos iudices, qui intempestive concursus processum in-  
eperant, suo damno meminisse expertos,*



sequestratione aufgegangenen und von des debitoris communis Grundstücken bezahlten Steuern und andere Onera realia. Si rem accurate perpendimus, curatoris bonorum munus est, vt haec onera tributaque soluat, quod perspicua et dilucida expositione iure continetur Brandenburgico: <sup>m)</sup> Was an gemeinen Lasten währenden Concurfus, und bis zur Adjudication von Häusern oder andern liegenden Gründen abzuführen, muß der Curator (intelligitur bonorum curator, qui ea in lege solo curatoris verbo indicatur) aus denen einkommenden Nutzungen bezahlen. Optime igitur negotium explicari existimo, si curator bonorum haec onera, cum rationes reddit administrationis, inter data, acceptis opposita, enumeret. Non enim proprie eiusmodi onera ad primam creditorum in concursu classem referenda, sed ante illam soluenda. Multum autem inter se distat, pro rata distribui in creditores, quod fit ratione expensarum, quibus sub primae classis nomine locus datur, et detrahi de bonis ad concursum pertinentibus, siue de massa concursus, cum illo casu plures creditores participant, quam hoc, propterea quod expensarum siue primae classis in distributione massae nulla habetur ratio, hoc autem e contrario casu creditores priorum classium plus accipiant, quam illo, quia, facta massae distributione, creditoribus, qui aliquid percipiunt, expensae detrahuntur, maior vero expensarum copia est in illo ac in hoc. Finge e. g. massam concursus 410. expensas ad primam classem proprie et merito pertinentes 40. onera durante concursu soluenda 10. creditum secundae classis 100. tertiae 200. quatae 60. quintae 40. sextae 10. Si onera lite pendente

B 3

vsque

<sup>m)</sup> Proiect des, Cod. Frider. IV. Theil Tit. IX, §. 14.



vsque ad subhaftationem soluenda 10. detrahantur de  
 massa 410. remanent tantum 400. Haec 400. dantur  
 creditoribus II. III. IV. et Vtae classis, qui autem est in  
 sexta, bonis iam exhaustis, nihil accipit, verum ad ex-  
 pensas, 40. quarum locus est in prima classe, secunda  
 creditorum classis 10. tertia 20. quarta 6. et quinta 4.  
 contribuit. Si vero illa 10. quae sunt onera durante con-  
 cursu pendenda, referantur inter caeteras expensas ad  
 primam classem, vt eam qb causam augeantur 40. ad 50.  
 summa bonorum 410. manet, de qua II. III. IV. V. et  
 VItae classi partes suae tribuuntur, sed iam conferet ad ex-  
 pensas, auctas ad 50. secunda classis  $12\frac{3}{4}$ , tertia  $24\frac{1}{2}$   
 quarta  $7\frac{1}{2}$  quinta  $4\frac{3}{4}$  sexta  $1\frac{1}{4}$ . Illud quoque inuesti-  
 gandum videtur ratione horum, de quibus huc usque  
 actum est, onerum, vtrum de fructibus tantum, quos  
 percipit concursus, an de ipso eorum bonorum pretio,  
 quae ad massam pertinent, soluenda sint. Et affirman-  
 dum esset prius ex ratione supra §. 2. allegata. Certe  
 in Saxonia per Mandat. d. d. 30. Iunii 1732. res fuit in  
 eum modum decisa, verbis: nachdem Wir geschesehen las-  
 sen können, daß die jährlich abzutragende Onera realia  
 Zeit währenden Concurse, von denjenigen, so selbige zu  
 fordern haben, aus denen Früchten und Nutzungen deren  
 zu der Concurse-Massa gehörigen Grundstücke, und zwar  
 wenn davon ein hinlängliches zu deren Befriedigung nicht  
 einkommt, nur pro rata erhoben werden mögen, quae con-  
 stitutio repetita Rescripto d. d. 26. Sept. 1738. Si vero  
 fructus ad ferenda ista onera non sufficiant, quod saepi-  
 us et contingere potest, et actu contingit, nullum dubi-  
 um est, quin summa, cui aliquid deest, de ipso quoque  
 pretio suppleri debeat, cum onera realia, etiam si exce-

dant



dant quantitatem fructuum, a domino rei praestanda sint. Ita quoque in citato Saxon. Mand. d. a. 1748. verba concepta sunt: aus der ganzen Concurſ-Maſſa zu nehmen.

§. VIII.


Monitum iam est, ea quoque separari posse onera, quae adhuc ab antecessore debitoris communis soluenda erant. Sed hoc fieri poterit tunc demum, ubi is ipse aliquid ex concursu percipit. Alioquin fisco alique pari creditori ius, quo gaudet, reale adimi, et is ad personaliter obligatum remitti nequit. Certe creditores reliqui, quorum maxime interest, optimo iure eam urgebunt separationem. Ponamus in exemplo §. priori proposito 200. esse residuum pretii, quod antecessor debitoris communis postulat, 60. esse onera nondum soluta eaque debita usque ad tempus, quo concursus initium cepit, inter haec 60. esse 10. quae debuit debitoris communis antecessor. Si itaque illa 10. separantur a reliquis 50. detrahentur ea isti antecessori, cui, cum ipsi locus tribuitur in sententia, haec solutionis adiici potest conditio, quapropter pro 200. tantum 190. sed creditor sextae classis sua 10. accipiet, cum e contrario, si talis separatio non fit, sexta classis in exemplo proposito credito excidat. <sup>u)</sup>

*Illaque quoque, quae debuit antecessor debitoris communis, separari possunt:*

§. IX.

<sup>u)</sup> In eiusmodi debito separationem etiam suadet Bergerus in El. Disc. for. Tit. XLH. obf. VIII. sed ad eum tantum effectum, ut prioris possessoris debitum praeferatur debito posterioris domini, illique prior in locando derur gradus, qualis tamen separatio aliis creditoribus nullam afferret commodum.





## §. 1X.

religua vero  
onera in pri-  
ma generali  
creditorum  
classe, in ea-  
dem speciali

His igitur tributis oneribusque ex ordine verorum creditorum debitoris communis exclusis, locoque iis meliore et pinguiore dato, iam de iis agamus, quorum causa fiscus, aerarium, vel quisquis ille sit, in cuius fauorem onera imposita sunt, pro veris debitoris communis creditoribus habendi sunt. In classem primam generalem, quae est eorum, qui praerogatiua praec omnibus etiam hypothecariis priuilegiatis gaudent, \*) haec onera locum inuenire, omnes consentiunt. An vero omnia eodem fruuntur iure, scilicet, an simul, an alia praec aliis soluenda sint, dubium est. Etenim inter onera de quibus agimus, varia enumerantur, nimirum, quae in utilitatem reipublicae imposita sunt tributa, v. g. Steuer, Contribution, quae conferuntur in fiscum principis, v. g. Kammer = Zinsen, Erbpacht, quae pertinent ad patrimonium principis priuatum, quae debentur domino directo, v. g. Lehngeld, Erbzinß, quae magistratus poscit, et vel ad eius patrimonium referuntur, v. g. Schoß, Dienstgeld, vel in utilitatem publicam exiguntur, v. g. Wächtergeld, Seruice, Brunnengeld, quae

\*) Refero haec ad eorum diuisionem, qui 5. classes generales esse, docent, primam, quae praerogatiuam generalem habet, secundam et tertiam hypothecariorum cum vel sine priuilegio, quartam personaliter priuilegiatorum, quintam, chirographariorum. Notissimum est, quosdam aliter sentire, de his autem multa proferre, huc non pertinet vid. Ludouici Einl. zum Conc. Proc. Cap. X. §. 5. Saxon. Ordin. Proc. Ver. illas 5. classes confirmat, post Recognitam 4. tantum sunt. In Proi. Codic. Frid. 8. classes constitutae. Alii aliter, quae tamen numeri disparitas, in re ipsa non magnum efficit discrimen, cum quibusdam illa debita, quae ad primam classem generalem omnia referimus, constituent 3. vel 4. classes generales.



quae soluenda sunt clericis ad eorum sustentationem, v. g. Decem, Opfer, vel priuato cuiumque ex certis rationibus, qualia nonnunquam sunt Erbpächte, wiederkäufliche Zinsen, et quae sunt reliqua. Num igitur ista omnia simul siue in una classe speciali soluenda sint, quaestio est. Doctores dissentiunt. Alii omnia in vnam classem coniciunt, <sup>p)</sup> alii tributa in vtilitatem reipublicae imposita anteferunt collectis magistratibus debitis, caeterisque oneribus, <sup>q)</sup> alii canonem emphyteuticum, decimas, census, eiusque modi alia ex prima classe generali plane expellunt, <sup>r)</sup> alii aliter. Quae forte optime dirimerentur, si causa praelationis omnibus apta inueniretur. Dominium praesertim eminens Brunnemannus, <sup>s)</sup> tacitam antiquiorem hypothecam Chemnitius, <sup>t)</sup> vtilitatem publicam Leyferus, <sup>u)</sup> fundamentum esse praelationis onerum tributorumque existimant. Sed ista nimis arguta videtur opinio, haec quodam modo incerta, et Chemnitius suam ex lege, quam citat, <sup>x)</sup> vix probauit. Possunt tamen vtilitas publica et hypotheca prior sub certis limitibus coniungi, si de ratione rei ambigatur, quae fere in sola legum dispositione posita esse videtur. Alias autem fundamenti discrimen varium produceret effectum.

C

Etenim

<sup>p)</sup> Chemnitii dissert. de iur. praelat. credit. th. 82. seqq. Ludouici Einl. zum Conc. Proc. im X. Cap. §. 21.

<sup>q)</sup> Brunnemann de proc. concurs. cred. Cap. V. §. 11 18. 19.

<sup>r)</sup> Carpzou. in def. for. P. 1. const. 28. def. 54. no. 6.

<sup>s)</sup> De proc. conc. cred. Cap. V. §. 11.

<sup>t)</sup> Diss. de iur. prael. cred. th. 82.

<sup>u)</sup> In meditat. ad Pandect. Spec. 482. med. 3.

<sup>x)</sup> Scilicet L. 1 C. si propter publ. pensit. cuius verba sunt: potior enim est causa tributorum, quibus priore loco omnia bona cessantis obligata sunt.





Etenim si hypothecam tacitam priorem pro fundamento habeamus, respiciendum erit ad tributorum onerumque antiquitatem, vt v. g. onera saeculo XVI. iam imposita anteferenda sint tributis saeculo XVII. primum introductis, quae opinio olim senatum Wittembergensem certo modo mouit, vt tributum nummularium vellet postponi tributo sibi soluendo, quod *Schöß* dicitur. <sup>1)</sup> Huic de hypotheca sententiae illud absque dubio ius occasionem dedit, quo fisco tacita hypotheca ratione census et debiti primipilaris, <sup>2)</sup> huiusque cum praelatione ante dotem datum sit. <sup>3)</sup> Cum vero leges Romanae tantum de fisco, qui erat Imperatoris, scriptae sint, multos eos scriptores esse oportuit intuitu aliorum onerum. Statibus imperii quidem, quibus est superioritas territorialis, facile id largiuntur, <sup>4)</sup> sed inprimis quoad ciuitates principibus subiectas cogi se putant, vt ad hunc confugiant obtentum, quod, etiam si illae non gaudeant iure fisci, instar tamen fisci habeant bursam, in quam pecunia publica reponatur, <sup>5)</sup> cuiusmodi demonstrationibus opus non est, si negamus, solam tacitam hypothecam fundamentum esse praelationis. Sin vtilitatem publicam hanc efficere putemus, omnibus praeferendae essent collaectae, quae ad reipublicae vel totius prouinciae onera sustinenda indicuntur, v. g. alendorum militum, soluendorum nominum reipublicae, con-

<sup>1)</sup> Berger El. disc. for. ad Tit. XLII. obs. 7.

<sup>2)</sup> L. 1. et 4. C. in quib. caus. pign.

<sup>3)</sup> L. 4. C. cit. et L. 3. C. de primipilo.

<sup>4)</sup> Chemnit. cit. loc. th. 84.

<sup>5)</sup> idem th. 92. sed vid. Carpz. cit. lib. def. 47. Menken. cit. Tit. XLII. th. 16.



seruandorum munimentorum, viarum, aggerum, pontium, e. f. p. causa, et quae propter securitatem vniuersitatis, cuius communis debitor membrum fuit, constituta, vel ad ea referenda, quae quam maxime necessaria sunt vniuersitati, v. g. Wächter-Geld, Brunnen-Geld, quas sequerentur ea tributa, ex quibus salaria magistratum, clericorum, aliarumque personarum, quae munera publica gerunt, desumuntur, vel vtilitatem tantum reipublicae aut vniuersitati praestant: reliquis autem omnibus, siue domino directo siue alii privato debeantur, (nisi ab his quaedam, quae sunt necessaria aut vtilia reipublicae vel vniuersitati, et quidem necessario ex istis redditibus sint impertienda, cuius rei nonnunquam occurrit exemplum praesertim, eiusmodi redditus clericis reddendos esse,) superior aliquis gradus concedi non posset, nisi eorum ius antiquiori quadam hypotheca munitum sit. Si denique dominium eminens ratio esset prioritatis, iis tantum collectionibus, quae reipublicae debentur principi, hoc ius competeret, reliqua autem onera ad classem primorum aliquam referri non possent, nisi hypotheca iis itidem constituta sit. Cum vero haec facilius disputentur, quam discernantur, non credo ab aequitate abhorreere eam opinionem, qua omnibus istis oneribus aequale ius tribuitur, nisi lex provincialis aut consuetudo ea distinguat.

## §. X.

Quae autem secundum supra monita intuitu hypothecae, a nonnullis scripta sunt, quaestioni ansam prae-  
buerunt, utrum onera etiamnum sint praeponenda, si

ante istos etiam, quibus hypotheca constituta,

## C 2

con-



concurrant cum creditore, cui hypotheca prius constituta est, quam onera sint imposita. Negat Chemnitius <sup>d)</sup> propter verba L. ult. D. qui pot. in pign. affirmat Menckenius <sup>e)</sup> ea ductus ratione, quod hic non ad prioritatem aut qualitatem pignoris, sed ad praelationis singulare priuilegium respiciatur, prouocans ad L. 1. C. si prop. publ. pensit. Quemadmodum autem Menckenius haec recte tantum de tributis et oneribus vtilitati publicae inseruientibus tradit, lex vero a Chemnitio laudata modo de his, qui contraxerunt cum fisco, agat, ita non omnibus oneribus nouissime impositis, quamuis alias ad primam classem spectarent, hoc ius poterit tribui. Etenim, si v. g. dominus iurisdictionalis vel directus nouum onus imponat, quod in suam tantum cedit vtilitatem, e. c. censum pro seruitiis, Dienstgeld, loco operarum, quas praestiterunt subditi, vel si dominus in fauorem cuiusdam priuati nouum onus in se recipit, haec noua onera non sine iniuria antiquioribus hypothecis praeferentur. Quae autem exiguntur in vtilitatem publicam, licet forte olim eo sub nomine non collecta, illis merito ius praelationis datur. Quod constare potest cum ipsa illa opinione, venire commodum oneribus concessum ex hypotheca antiquiore tacita. Scilicet fiscus, aerarium siue illa bursa, de qua supra, iam generalem hypothecam tacitam habent ratione omnium, quae vtilitatis publicae causa iam indicta sunt, et indicentur postea, quocumque illa nomine veniant, vel quocumque modo distribuantur, cum vtrumque, et nomen et modus, saepius vtilitatis publicae causa murari debeat, nec illam, quam exposuimus, hypothecam quolibet demum

<sup>d)</sup> l. c. th. 87.

<sup>e)</sup> l. c. th. 16.



anno tacite constitui, affirmari potest, quam potius iam ab ipsius reipublicae initio affuisse censeremus.

§. XI.

Alia specialis classis assignandae causa occurrit quaestio, vtrum onera haec debita vltimum classis generalis primae locum occupent an primum, an vnum saltem ex prioribus. Referuntur enim f) ad classem generalem primam sumtus funebres, sostrum medici cum pharmacis in supremo morbo impensis, mercedes famulorum, et hi, qui iure quasi separationis gaudent, quibus nonnunquam in legibus provincialibus et statutis quaedam alia adduntur. Supra laudatus Chemnitius tributa quaecunque postposuit expensis funebribus et mercedibus famulorum. Sed notatus fuit propterea a Stryckio, g) *verum male, scribente, si concursus fiat in ipsa re collectabili, quod enim ob publicam necessitatem immediate ex ipsa re debetur, non potest postponi talibus creditoribus, qui quidem priuato priuilegio muniti, sed si ipsi possedissent, eadem onera praestare debuissent. Ob quam causam contributio merito praefertur iuri separationis, quod si iuri separationis praefertur, etiam praeferrri, debent expensis funeris et mercedibus famulorum.* Haec vero Stryckius inprimis ad defendendum Reccssum Marchicum, secundum cuius ordinem liber Brunnemanni a Stryckio illustratus conscriptus est, in medium protulit. Quod enim ex

*sed vltimo generalis primae classis loco.*

C. 3. prin-

f) Scilicet, qui res vindicant, inter creditores non numeratis, nec iis classe data in concursu vid. Ludonici, Cuiuslibet, sumi Conc. Proc. Cap. IX, §. 1. 2.

g) Ad Brunnem, de proc. conc. credit, Cap. V, §. II, in nota: Electoratu,





cipiis iuris communis iuri separationis anteponenda sint onera, planum minime fecit, quapropter ea doctrina aliis quoque non probatur. <sup>h)</sup> Nam e contrario fiscus, tanquam potentior, facilius sua potest consequi, quam priuatus. Culpa autem fit exactorum, si damnum patitur; priuatus vero, qui saepe iudicis arbitrio, remediorum iuris mora aliisque impeditur, sine vlla culpa, ad suum peruenire nequit. Interest quoque reipublicae, ne infulta relinquuntur corpora, et ob hanc causam, ut Marcianus iam enunciauit, <sup>i)</sup> *impensa funeris omne creditum solet praecedere, cum bona soluendo non sint.* Nec iniquum est priuilegium famulorum, qui suis operibus rem domesticam debitoris communis augent vel saltem conseruant, (alios enim, et ambulatores intelligi apud Repkouium <sup>k)</sup> asperitas sui temporis non patitur,) ita, ut creditores caeteri tantum bonorum non acciperent, nisi istorum labore quaesitum fuisset, et valet fere horum intuitu contra Stryckium de fisco, quod in huius fauorem affirmauit, videlicet: si ipse possedisset, eadem onera praestare debuisset. Non igitur refragatur iuri, si in prima classe generali vltimum locum demus oneribus. Verum tamen, quod ad Ius commune, siquidem id ex Iure Saxonico suppleri nequit mercedes famulorum, nisi quatenus impensis fructuum possunt accenseri, huc non pertinent, quo igitur ista quidem adhuc vera manent, post ius separationis tamen, sumtum funeris cum sistro et pharmacis <sup>l)</sup> statim onera exci-

h) Struv. Synt. Iur. Exerc. XLIV. th. 46.

i) L. 45. D. de religiof.

k) Sächs. Landst. Lib. I. Tit. 22. qui locus priuilegii famulorum est fundamentum.

l) L. 37. pr. D. de relig.



excipient, quae tamen legibus provincialibus alio determinari posse modo, manifestum est.

§. XII.

Considerandum quoque est, an ista onera, ab his, quibus debentur, recte petantur inter creditores huius classis, etiamsi inde a multis annis residua sint. Iure communi aegre videtur locum inuenire limitatio. Etenim, cum fisci privilegium generale sit, quaestores onera, quae vel a viginti annis restant, postulare non prohibentur, <sup>m)</sup> quod valeret etiam de caeteris oneribus ad fiscum non pertinentibus, si assumamus, paria omnium esse iura. Multis tamen provincialibus legibus hoc restrictum est privilegium ad certos annos, ne, quae culpa sunt exactorum, nimium pariant damnum caeteris creditoribus. Reuiviscit tamen quasi privilegium intuitu horum a multis annis non solutorum tributorum, si actio propterea instituta, siue executor ad debitorem missus sit. Quod quamvis suo iure in utilitatem pecuniae publicae legibus provincialibus sit praescriptum, saepe tamen aliis creditoribus, qui culpa carent, adeo damnosum est, ut aequissimum alias ius summa fiat iniuria. Receptores enim vel negligentes, vel partium studio capti, vel lucri quoque causa, nonnunquam debitorem in ius quidem vocant vel per intervalla interpellant, potissimum, ut sibi tantum prospiciant, ceterum vero nullam adhibent diligentiam, ut tributa etiam solvantur, litem coeptam nec continuantes, nec ultra eam executionis

quamvis inde  
a multis annis  
residua  
sint.

l) L. 37. pr. D. de relig.

m) Ludovici Einsl. ium Conc. Pr. im X, Cap. §. 24.





tionis speciem, qua centies ad debitorem mittunt; qui nuntio pro opera i. gr. vel aliam pusillam pecuniam dare cogitur, de quibus ridet murosus debitor, procedentes. Si vero possunt eius, qui cessat in tributis soluendis, bona statim, n) ac cessauit, vendi, o) vix defendentur eiusmodi exactorum lusiones, si a nemine, quo minus officio satisfaciant, impediuntur.

§. XIII.

ita, ut solu-  
tio fiat ex  
quibuscunque  
debitoris bo-  
nis, soluen-  
da sunt:

An vero ex omnibus bonis debitoris communis tributa oneraque residua soluenda sint, an tantum ex quibusdam, explorandum erit. Scilicet bona, quae possidet debitor communis, variae plerumque sunt indolis, mobilia, immobilia, allodialia, feudalia, caet. Leges Romanae nimis generales videntur. p) Nam secundum L. i. C. in quib. caus. pign. *uniuersa bona eorum, qui censentur, vice pignorum tributis obligata sunt*, quod confirmat L. ult. Cod. his verbis: *si quis fundum vel mancipium aliamue rem ob cessationem tributorum, vel etiam ob vestium, auri argentique debitum quae annua exactio- ne soluantur, occupata, sub basta distracta comparauerit, perpetuam emtionis accipiat firmitatem*. Haec igitur si sequamur, nullum esset discrimen inter bona, cuius cunque

n) Brunnem. in Comment. in Cod. ad l. i. C. si propt. publ. pensit.

o) Secundum modo dictam L. i. C. si propt. publ. pensit.

p) Negat tamen Gothofredus ad l. i. D. si propt. publ. pensit. qui ad verba: causa tributorum, commentatur: in ipsis scilicet bonis tributariis. an in aliis? non puto, nisi debitor ante fuerit filco obligatus. sed affirmant Müller ad Struam, Ex. 44. tb. 47. not. v. no. II. et alii.



cunque sint generis, quae tamen opinio admodum dura existimabitur. Doctores verum plerumque inter rem collectabilem et non collectabilem distinguunt, 9) rem collectabilem intelligentes eam, propter quam onera debentur, siue cui onera imposita sunt, veluti agrum vectigalem respectu canonis debiti, non collectabilem caetera bona debitoris, quae tamen ratione aliorum onerum quoque collectabilia esse possunt. Quod primum dicendum est de feudis, cum ex his alia, quam debita feudalia non soluantur, ea propter alia onera regulariter obligata esse nequeunt. Ad reliqua bona debitoris quod attinet, distinguendum erit inter onera personalia et realia. Illa credimus principaliter solvenda esse ex mobilibus, in subsidium tantum ex immobilium pretio, propterea quod proprie immobilia non afficiunt, nec, his venditis, cum fundo ad quemcumque possessorem, uti realia, transeunt: haec principaliter ex fructibus ipsius pretio illius fundi, cui imposita sunt, et in subsidium tantum ex caeteris bonis. Quam sententiam comprobare mihi visa est lex vltima supra citata, in qua fundus primo ponitur, qui ob cessationem tributorum distrahatur, deinde vero mancipium et aliares, cui iungamus Legem 2. C. eod. tit. qua constituitur, ut deserta praedia ob cessationem tributorum vendantur, ex quo colligo, ante omnia fisco soluendum esse ex pretio illius fundi, cui residua collectio, tanquam onus indictum, inhaeret. Quapropter, si permittunt leges prouinciales, ut oneribus realibus etiam ex mobilibus satisfiat, id intelligendum erit in subsidium, si praedium

D  
adeo

9) Brunnem. de proc. cred. Cap. V. §. 11. Stryk. ad huuc locum. vid. quoque Carpouz. Lib. IV. resp. 77. no. 4.



adeo vile venit, vt pretium non sufficiat, ad tributa oneraque nondum soluta explicanda, tunc demum id, quod adhuc deest, mobilium pretio dissoluatur.

§. XIV.

*in quibus ta-  
men omnibus  
variant mo-  
res pronun-  
ciarum.*

Mores autem inter se quoad hanc praelationem onerum mirum in modum discrepant. Bergerus \*) enarrat ex statuto Gerano tributa aliaque fisci onera et debita piarum causarum (scilicet, quae fisco piisque causis debentur) extra concursum singulari iure exsoluenda esse. Priuilegii similis Senatus Freybergensis, quo praefertur onera pecuniae haereditariae, meminit Riinus. †) Iure Saxonico antiquiori per Augusti Elect. Const. 28. Parte I. onera sine distinctione in penultimam classem specialem generalis primae posita sunt, verbis: *Das vor allen andern Schulden erstlich bezahlt werden sollen, Liedlohn, auch Schoß, Steuer, und Erbegeld.* Ordinatio Processus Vetus Tit. XLII. haec confirmat, in qua, postquam 1) pretii reseruata hypotheca vel reseruato dominio debiti, 2) debitorum, quorum intuitu pignori fundus subiecit antequam acquisiuit eum debitor communis, 3) mercedis, 4) sumtum funeris, 5) medicaminum et fostri propter supremum morbum, mentio facta, sequuntur 6) onera realia, †) quibus tamen hoc quoque loco per verba, *und denn das Erbegeld,* etiam postponitur haereditaria

\*) In Oec. Iur. Lib. IV. tit. 31. §. 2. not. 5.

†) In Enne. Iur. ad Tit. XLII. enanc. 36.

‡) Verba sunt Ord. Proc. Sax. Ver. Tit. XLII. §. 6. *soll Schoß, Steuer, und was auf denen Gütern zu Besoldung derer Kirchen- und Schutbiener oder andern milden Sachen zu entrichten, als Decem, item, jährliche Zinsen von wiederkäuflichen Hauptsummen, und dergleichen Onera realia, und dann das Erbegeld bezahlt werden.*



ditaria pecunia, tam proprie, quam improprie sic dicta. \*) Haec, quae de oneribus in ista lege continentur, ita intellecta fuerunt, vt omnia in vna classe speciali solui debuissent, pro rata itaque, si bona non sufficerent. Quamvis autem istam interpretationem Resolutiones Gravam. d. a. 1661. sustulerint, qua lege primum Schoß, deinde, si quid superfit, Steuer, tum, si massa adhuc sufficiat, Decimae et quae alia ad salaria clericorum contribuenda, post reditus annui, tandem, massa nondum exhausta, reliqua onera soluenda essent, \*) hac tamen legis dispositio nunquam fuit obseruata, y) et nouissime plane abrogata. z) Huc usque, ex quibus bonis, vel quot annorum \*) tributa soluenda essent in concursu, determinatum non erat. Tandem vero Ius Saxonicum nouissimum

D 2

Ordina

\*) differentiam explicat dicta O. P. S. V. Tit. XLII. §. 7.


\*) Erled. der Land. Gebr. d. a. 1661. tit. von Confistor. Sachen §. 5. nach solcher itz bemeldeter Zeit aber (nempe post publicationem) wenn alsdenn Geistliche, und der Gerichtsherr concurriren, der Bezahlung halber die Ordnung, wie die Gläubiger in der neuen Gerichts-Ordnung der Reihe nach erzählt werden, inskünftige gehalten werden soll.

y) Berg. in E. D. F. Tit. XLII. obs. 7. not. 1.

z) Ord. Proc. Sax. Rec. Tit. XLII. §. 8.

a) Errat Ludouici in der Einl. zum Conc. Proc. Cap. X. §. 24. cum scribit, tantum 4. annorum onera iure Saxon. peti posse. Et enim Resol. Gravam. d. a. 1612. tit. Jusfit. Sachen nro 17. ad quas prouocat, hoc non probat. Haec lex non de omnibus in genere oneribus, sed de eo tantum casu, si magistratus pro subditis tributum provinciale et cereuisiarium, (Land- und Tranststeuer) soluit, (quod secundum mores eius seculi intelligendum) concepta est, quo magistratui praerogatiua ad 4. tantum annos conceditur. Caeterum contrarium obseruatum fuisse, perspicue docet O. P. R. l. c. verbis: jedoch bleiben die vor Publication dieser Unserer erläuterten Proceß-Ordnung den Schuldnern der Steuern halber oder sonst verfassere weitere Rücksichten. nochmals bey Kräften. Docent etiam praerudicia apud Bergerum l. c.





Ordinatione Recognita et haec reddidit certiora, et ordinem mutavit, scilicet oneribus vltimum dedit locum in classe prima generali, praerogatiuam etiam praec oneribus pecuniae haereditariae vtriusque generis, si hypotheca munita sit, concessit, redditus autem annuos redimibiles ex hac classe transtulit, in has, quae nunc sunt tertia et quarta, hypothecariorum scilicet et chirographariorum, prout vel constituta est hypotheca, vel non constituta, b) nullam permittit onerum differentiam, priuilegium autem restrinxit ad 5. annos, et ad bona, quibus onera imposita sunt, mobiliaque. c) Iure autem Lusatiae superioris statim post creditores, qui sua vindicant, vel pretium rei venditae, referuatis hypotheca vel dominio, petunt, vel qui iure reali iam tum, cum debitor communis possessionem nactus est, gaudebant, igitur ante mercedem famulorum, sumtus funeris et pecuniam haereditariam onera realia d) posita sunt. Salaria tamen clericorum vltimum locum

b) Repetitur haec dispositio in Mand. d. d. 24. Sept. 1734. quod tacitas restituit hypothecas.

c) Churf. Sächs. Erl. Proc. Ord. Tit. XLII. §. 8. die auf denen Grundstücken haftende und andere Onera, Schöß, Steuern, Contribution, Defension, und Miliz-Gelder, ingleichen Decem, Opfer, Pfennige, Wächterzins, Erbzins, Hufengelber, Wachgeld, Lehnwaare, und dergleichen, nach jedes Orts Gebrauch und Gewohnheit, und zwar allerseits ohne Unterscheid der Zeit und pro rata, jedoch allein von den Gütern, darauf solche haften und dem Fahrniß, auch nur wegen derer letztern 5. Jahre vor entsstandnem Concurs, dahingegen die ältern Reste, wenn solche nicht durch Execution oder gerichtliche Auflagen vorher gesucht, oder deswegen geklagt worden, beyhm Concurs zu liquidiren nicht zugelassen.

d) Haec scilicet: Steuer, Lands, Contributiones, Amts, Rente an Geld, Geraaydicht, Decem, wiederkäufliche geistliche Hauptsummen und Zins, und was dergleichen Onera realia mehr seyn: Oberlausiß, Amts, und Gerichts, Ord. d. a. 1612. no. XXIV.



locum in prima classe generali occupant, et intuitu reddituum annuorum redimibilium secularium nihil expresse dispoſitum, e) fortasse quod hypothecariis annumerati sunt. Iure Brandenburgico veteri ex Reſſibus Prouincial. d. a. 1646. et 1653. contributiones et collectae fiſco debitae Electorali ipsam primam classem antecedunt, f) quod priuilegium per ſpecialia reſcripta poſteriora, g) ad patrimonium Principis priuatum, et administrationem rei monetariae, aliaque fiſci commoda extenſum eſt, quae omnia ſequuntur demum ius ſeparationis, expenſae in funus et morbum defuncti debitoris, et mercedes famulorum, his autem poſtponuntur canones et penſiones eccleſiae et earum ſcholarumque miniſtris debitae, decimae et alia debita eccleſiaſtica, poſt haec locantur tributa, quae magiſtratus poſcit, his ſolutis annui redditus, laudemia, et cenſus ſequuntur penultimo in claſſe I. generali gradu. h) In Ducatu Magdeburgico olim idem, ac in Saxonia, ius obtinuit, ſed per Ord. Proc. Recogn. redditus Ducales primam claſſem, reliquis oneribus loco ſuo relicto, vicerunt, et iam ſecundum antiquiorem Proc. Ord. priuilegium ſex tantum annos durauit, quod tamen Doctores de iis tantum oneribus, quae magiſtratibus inferioribus debentur, interpretati ſunt. i) Sed haec omnia in his quoque terris nouiſſime mutata ſunt

e) Vid. iam allegata Anſt. und Ger. Ordn.

f) Brunnem. de Proc. Conc. Cred. Cap. V. §. 11. Ludouici. Einſ. zum Conc. Proc. Cap. X. §. 23.

g) d. a. 1672. 1673. 1674. 1683. Stryck ad Brunnem. cit. nota: Electorali, et d. a. 1713.

h) Brunnem, c. l. §. 18. 19. 20.

i) Ludouici cit. §. 24.





sunt per Proiectum Codicis Fridericiani. Fiscus Principis quidem per hanc etiam legem praerogatiuam adhuc retinet prae omnibus creditoribus, quae alias I. classis generali annumerari solent, quocumque nomine debitum insigniatur, <sup>k)</sup> attamen prohibitum est simul, ea intra annum non exigi, quoad damnum eorum, qui nomina in librum hypothecarium detulerunt, iis quoque, qui conductoribus et administratoribus rerum fiscalium prius, quam conduxerint, vel administrationi praefecti fuerint, crediderunt, creditaque inscribi in libros hypothecarios curauerunt, ius fisci non solum cessum, sed assistentia quoque fisci aduersus collegia, qui obaeratum iam debitorem rebus fiscalibus praefecerunt, vel bona ei fiscalia locarunt, vel contra receptores, qui intra anni spatium eiusmodi tributa non exegerunt, promissa sunt. Reliqua vero onera <sup>l)</sup> his, quibus antequam debitor communis dominium est adeptus, hypotheca constituta, sumti-

k) Proiect. des Cod. Frider. IV. Theil Tit. IX. §. 49. seqv. et 60. Haec recensentur: caduque Güter, Contributions Reste Charoul-Holz, Münz, Schoss, und Rosdiensgelber, alle Anlagen und Gelder die in die Casse stießen, Pachsgelder Domainen, Pensionen von den Salz und andern Gütern und was die Casen Administratores und andere Bediente, so einige Geld, Einnahmen haben, schuldig bleiben.

l) Verba sunt: Einkünfte der Kirchen, Zehenden, Messkorn, und andere Belohnung der Kirchen; und Schuldiener, aus Stiftungen und Vermachungen den Kirchen zusehende Gaben; Canones emphyteutici; unablässliche jährliche Zinsen, (redimibiles per §. 69. ibid. obseruatis solennibus ad hypothecarios pertinent) Renten- und Einkünfte, Pachtkorn, Obrigkeit gebührendes Zinsgeld, Rauchhuhn, Nachstand wegen der Dienste, landschaftliche Acate, und was die Unterthanen der Obrigkeit, und Bürger dem Magistrat geben, auch zu gemeinen Stadtbürden tragen müssen, Bier, Trancsteuern, Servis, Frohn-Dienstgeld.



sumtibus in funus et morbum debitoris expensis, famulorumque mercedi postponitur, neque ultra biennium, nisi debita adhibita fuerit diligentia, peti possunt. *m*) Ordinatio Gothana oneribus tandem classem specialem concessit, quam Vetus Saxonica Electoralis, modo, quod onera in duas species diuiserit, quorum vna alteri praefertur. *n*) Ordinatio Altenburgensis Processus Recognita fere sequitur ius commune. Nam, si omitteremus sumtum litis, oneribus realibus secundus locus, statim post sumtus funeris cum sistro, medicamentisque coniunctos, datus, ita tamen, vt ius separationis non tollatur, mercedes vero famulorum, credita in fundum ante acquisitionem debitoris, redditus annui, et pecunia haereditaria oneribus postponantur in I. classe generali. *o*) Certum tempus, certaue bona in vtraque lege non adduntur.

## §. XV.

*m*) Proj. des Cod. Frid. I. c. §. 61. 62.

*n*) Verba sunt Ord. Duc. Sax. Proc. Goth. Cap. XVIII. §. 7. über dieses sind 5) abgestritten die Onera realia, so auf des Debitoris Gütern haften, als da sind, sowohl Ordinair- als Extraordinair- Steuern, wie auch alle herrschaftliche Gefälle, item Geschoß, das Geld, so nach etlichen Ditten Gewohnheit die Untertanen zu den peinlichen Executionen geben müssen, wie auch, was zu Vollstreckung der Hülfe wider den Debitorem von der Obrigkeit angewendet worden, ferner 6) die Erbziinsen, Decem, wiederkäuflich und unablegliche Zinsen, und dergleichen jährliche Gefälle. Classis specialis 1) sunt litis expensae 2) salarium curatoris bonorum 3) mercedes 4) sumtus funeris et supremi morbi, vltimus locus post census et decimas pecuniae haereditariae datus.

*o*) Fürst, Sächs. Altend. Erl. Proc. Ordn. P. I. cap. 37. §. 13. 4) die Beschwerungen, so auf des Schuldners Gütern haften, als da sind sowohl ordentliche als außerordentliche Steuern, wie auch alle

E



## §. XV.

*Onera tan-  
dem locantur  
absque inter-  
esse morae.*

Tandem addo, propter onera eiusmodi in concursu interesse morae peri non posse, ob culpam exactorum, quod cum agnoscant scriptores, p) miror, id non obseruari in aliis huius materiae capitibus.

alle herrschaftliche Gefälle, Mitggelber, ingleichen Lehnwaare, Geschoss, erb- und unbeweglicher Zins, auch Decem und das Geld, so nach etlicher Orten Gewohnheit die Untertanen zu den peinlichen Unkosten geben müssen, wie auch, was zu Vollstreckung der Hilfe wider den Schuldner angewendet worden. Primo loco expensae litis, 2. expensae heeredis ob inventarium factae, 3. impensae funeris et in morbum supremum positae sunt. Praeterea in Ordinat. Anhaltina, et in Statutis Hamburg. quae agunt P. 11. Tit. 5. vom Vorgange der Gläubiger, nihil inveni. Ius Lubecense L. 111. Tit. 1. art. 11. et 12. oneribus praefert suntus funeris, vnius anni redditus, et vnius anni mercedem ex contractu locati siue praedii siue operarum. Plura iam allegare, non vacat.

p) Vid. Menck. Tract. Syn. Proc. ad Tit. XLII. §. 16.





Wittenberg, Diss., 1770-73

X 228 32 35








9813

*No: 908.*

*14*

*1771 3*



VECT  
REAL

LIBRIS PUBLICIS  
VS IN CONCURSV  
RIBVENDO



D. ER  
IVR. SAX  
INFE

E  
CHRISTIANO  
E L  
NCIALIS IN LVSATIAE  
CVLTATIS IVRIDICAE  
SORE

MDCCXXI.

BIT

IOHA

NATHVSIVS

s.



E  
ESIANA,